

Samuel Becket O.P.

Index locorum in hoc volumine
explicacionum

- nr. 29 10f. LXXXIV.
- 4. Matth. II. 17. 18.
- 38 Luc. I. 78.
- 10 Act. XIII. 32. 33.
- 20 Epiph. V. 27.
- 18 Act. I. 34.
- 11 Act. II. 14. 15.
- 23 Epiph. XIII. 2.
- 36 1 Petr. III. 10.
- 38 2 Petr. I. 19
- 6 Jud. 9.
- 38 Apoc. XXII. 16.

21

DE
IESV CHRISTO
SPIRITVS INFERNALES
TRIUMPHANTE
AD ILLVSTRANDVM LOCVM
COL. II. V. 14. 15.
PROGRAMMA
FESTO PASCHATOS
A. R. S. CIO IO CCLV.
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
P. P.

HELMSTADII
LITERIS SCHNORRIANIS.

PRORECTOR ET SENATVS
 ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
 CIVIBVS SVIS

S. P. D.



Accurrant hodie populi, Christum profidentes! Tollant vocem! Laetisque acclamationibus canant victoriam magni Redemptoris! Rursus enim adest dies, qua olim a mortuis resuscitatum, devictis hostibus, triumphasse, pia, hilari, et grata mente recordatur Ecclesia. Ista triumphalis solemnitas peracta est, aut certe peragi coepit, cum Christus, recuperata vita, e sepulchro, in quo exanatatis tot laboribus pro humano genere redimendo susceptis usque ad tertiam diem quieuerat, egrederetur. Appellamus autem hanc gloriosam eius resurrectionem POMPAM TRIUMPHALEM, memores verborum Pauli, qui Col. II.

IV

14. 15. scribit: Deleuit, quod contra nos erat, Chirographum dogmatibus, quod erat contrarium nobis, il ludque sustulit e medio, affigens illud cruci, exuens principatus et potestates, ostentauit confidenter, triumphans de illis per se ipsum. Digna profecto verba, quae ab homine christiano diligenter expendantur, et quorum discussione ingens illud Resurrectionis beneficium plenius illustretur! Eaque res cum prius pertractanda nobis videretur, quam vos, CIVES CHARISSIMI, ad dignam redeuntis Festi Paschatos celebrationem hortemur, quatuor in primis occurribant momenta, sedulo ponderanda: 1. HOSTES, quibus deuictis triumphavit Christus; 2. VICTORIA, quam ab illis reportauit; 3. BELLVM, quod praecferat; 4) denique TRIVMPHVS ipse.

HOSTES ab Apostolo vocantur *ἀρχαι ἐξοιταῖς*, quibus vocibus varios Spirituum infernalium ordines designari, neminem fore, qui dubitaret, credidimus, nisi compertum esset, in alias abire fententias quosdam interpretum, eosdemque magni ex parte nominis. Sunt enim, qui de abolitione legis ceremonialis vnicce hoc loco agi censem, ideoque per *ἀρχαὶ ἐξοιταῖς* Principes Synagoge iudaicae intelligi volunt, quos *ἀρχεῖται τὰς αἰώνας τέτες* 1. Cor. II. 6. appellari legamus. De his itaque, aiunt, Christum triumphas, idque eo magis, cum ex eo v. 16. 17. inferatur, *nemini mandari oportere ob cibum, aut potum, aut discrimen festorum, aut novilunia, aut sabbatha, quae omnia essent umbra futurorum.* Quare si hos audiamus, solam liberationem ab obligationibus Iudeorum, qui sub Vet. Test. ad seruandam legem ceremonialem tenebantur, hoc loco describi, credendum erit.

Ve-

Verum enim vero nos communem sententiam,
de Spiritibus malignis, h. e. diabolis in triumphum
duelis hic agi, quae est plerorumque Patrum veterum
non minus, quam Theologorum recentiorum, reti-
nere maluimus, eamque his confirmari posse rationi-
bus arbitramur: 1. Et si fatemur, Sacerdotes et Legis-
peritos Iudeorum ἀρχόντες τῶν πλιάνων τέττας 1. Cor. II. 6.
appellari, quin et ἀρχόντες νοῦς ἐξουσίας, Luc. XII. ii. saepi-
us tamen angelis tam bonis quam malis haec nomi-
num genera imponuntur. Eph. I. 21. II. 2. III. 10. VI. 12.
Rom. VIII. 38. Col. I. 16. Dicuntur autem Angeli *Prin-*
cipatus et *Potestates* h. e. *Principes* et *Potentes*, quia
Deus Angelos in vniuersum omnes ad singulare ipsi-
us ministerium ab initio creatos in varios ordines di-
uisit, quorum alii alii et dignitate, et sapientia, et
fortitudine superiores aut inferiores fuisse videntur. a)
Et licet Angeli Apostatae pristinam dignitatem sibi
concretam non retinuerint, Iud. v. 6. ἀρχαὶ tamen et
ἐξουσίαι dici possunt, habita ratione prioris, quam per-
diderunt, conditionis, sicuti et hoc respectu *Angeli*
appellantur. (b) Quapropter cum haec sit communis
et quasi propria Angelorum compellatio, nec quic-
quam

A 3

(a) Incerta tamen sunt, quae Pontificii, **DIONYSIVM AREO-**
PAGITAM sequuti, et in primis **THOMAS A QVINAS** in
Summa Theol. Part. I. Qu. 108. Art. 5. p. m. 236. de tribus Hie-
rarchiis caelestibus, et de nouem ordinum per eas dispositione
tradunt. Hanc incertitudinem ipsi fatentur **FRANC. SVA-**
REZ in *Summa Theol. Part. II. Lib. I. Cap. XIII. num. 2.* p. 39.
et **DIONYSIVS PETAVIVS** in *Dogm. Theol. Tom. III. de*
Angelis Lib. II. Cap. III. p. 60.

(b) Angelus non *naturae*, sed *officii* nomen est. **AUGVSTINVS**
Enar. I. in Ps. CIII. Opp. Tom. IV. p. 1140. *Conf.* etiam **HERM.**
WITSIUS in *Comment. in Epist. Iudee §. 18. Meletem. Leidenf.*
p. 337. seq.

VI

quam causae sit, hunc vocum significatum deserendi, nostram interpretationem merito preferendam esse iudicamus. 2. Idem probat connexio textus nostri cum antecedentibus. Apostolus enim ex hoc triumpho Christi rationem reddit assertionis suae: *Homines in peccatis mortuos una cum Christo vivificatos esse, et peccatorum suorum remissionem accepisse.* v. 13. Haec autem spiritualis resurrectio, h. e. regeneratio et iustificatio, concipi quidem potest ex destructione Daboli, et potestatis eius, Ebr. II. 14. 15. sed non ex abolitione legis ceremonialis. Nam et eo tempore, cum huius legis valor adhuc locum haberet, eamque violare magnum esset crimen, homines vi futuri meriti Christi, quo regnum diabolicum devictum est, et regeniti sunt, et peccatorum remissionem impetrarunt. Accedit 3. de victoria sermonem esse, quam Christus morte crucis reportauit, et de triumpho, hanc victoriā sequuto. At vero bellum illud, quod Christus Sacerdotibus et Legisperitis intulit, et quo tandem exturbata est Synagoga, non morte Christi, sed doctrina et Euangelii praedicatione gerebatur. Hac enim demonstrabatur, ritibus leuiticis, quorum observatione necessaria erat sub Vet. Test. non inesse vim, homines DEo reconciliandi, sed eos tantum praefigurasse unicum illud et perfectissimum sacrificium, pro peccatis totius mundi offerendum. Quod cum credereatur ab hominibus, Spiritu DEi illuminatis, cecidit magna illa Principum Synagogae autoritas, et qui illorum decreta antea sequuti erant, ad castra Christianorum transmigrarunt. Quare etiam dicendum est, non Christum duntaxat, sed et Apostolos aliosque Doctores Ecclesiae de Sacerdotibus et Legisperitis sua doctrina

doctrina triumphasse. 4. Obiicitur quidem, ex hoc triumpho Christi inferri, ideo non habendam esse rationem cibi et potus, festorum et nouiluniorum, h. e. cultus leuitici; nullam autem fore argumenti connexio-
nem: *Christus vos liberavit a dominio et potestate dia-
boli; Ergo nemo vos iudicet ob cibum et potum etc.*
At enim vero perperam hic supponi arbitror, vlti-
mam conclusionem immediate ductam esse ex trium-
pho Christi. Nam ex tota oratione v. 14. 15. conten-
ta, ad quam quoque pertinet litura Chirographi, in-
ferri videtur, quicquid Apostolus v. 16. 17. de aboli-
tione legis ceremonialis et de liberatione Christiano-
rum ab illius obligatione tradit. Atque ita concludi
potuisse, licet nostra retineatur interpretatio, sequen-
tia nos certius edocebunt.

VICTORIA Christi Triumphantoris per *exutio-*
nem et ostensionem hostium describitur. Verbum *ἀπεν-*
δύσασθαι et *intransiūne* sumitur pro exuere se ipsum
aut deponere aliquid, Col. III. 9. et *transiūne* pro
spoliare aut detrahere, qui significatus est huius loci.
(c) Licet autem non significauerit Apostolus, quid-
nam rei sit, quo eos exuerit Christus, tamen, cum
Principatus et Potestates hoc loco considerentur ut
hostes a Christo devicti et in triumphum ducti, haud
obscurum est, omnem istam armaturam intelligi, qua
Spiritus infernales Regnum Christi impugnare solent.
Atque haec hostium spoliatio aut in genere tantum
significat, eos plenissime viatos, et rem, de qua di-
micabatur, illis erectam, et sub victoris potestatem
tra-

(c) AVGVSTINVS Lib. XVI. contra Faustum Cap. 29. Opp. Tom.
VIII. p. 301. vocem *ἀπενδυσθεντος* intransiūne accepit, locum
hunc ita reddens: *Exuens se carnem, principatus et potestates*

VIII

traductam esse, aut simul, hostes et armis vere priuatos esse, vt iam omni nocendi potestate careant. Nobis prior interpretatio verior esse videtur. Nondum enim desierunt mali Spiritus contra fideles Christi pugnare. Tanta potius vehementia et fortitudine eos aggrediuntur, vt omni opus sit armatura DEi, ad resistendum illis. Eph. VI, 12. 13. Et diabolus, hominum aduersarius, vt leo rugiens circumuagatur, quaerens, quem deuoret. 1. Pet. V. 8. Itaque arma quidem retinuit, sed ita deuictus est a Redemptore nostro, vt illis, qui ipsi fideliter adhaerent, vim inferre non posset. Quod qua ratione factum sit, deinceps commonstrabimus.

Non solum autem Christus hostes suos vicit, verum etiam eos ostentauit palam. Hoc vocabulo sine dubio respicitur ad consuetudinem veterum, qui deuictos hostes circumducebant et ostendebant populo, vt de victoria eo certius constaret, et victoris gloria hoc spectaculo augeretur. Quemadmodum autem qui hoc modo traducitur, vestibus et armis exutus, maxime si fuerit Princeps aut Imperator, aut is esse voluerit, ingenti simul ignominia afficitur, et quasi infamis redditur, ita et hoc loco verbum derquisatur haud incommode acciperetur de tali victoria, qua vietus simul publicae ignominiae et contemptui exponitur, quemadmodum id quoque ab aliis iam obseruatum esse legimus. (d) Et tam ignominiosa clade v-

tique
exemplavit, etc. Sed cum in greco non extet *την σάρξ*, neque vila ratio huius adiectionis appareat, praeflat, vocabulum transitu intellexisse.

(d) Vid. S. V. SAL. DEYLING in *Obs. Miscell. Part. II. Exerc. II. §. 23. p. 61.*

tique dignus erat diabolus. Is enim cum forte sua contentus non esset, sed maiorem affectans dignitatem, a creatore suo deficeret, regnum sibi comparaturus, regno DEi oppositum, iustas et rebellione sua dignas poenas tulit, cum genus humanum, quod ad gloriam DEi conditum sibi fraude et malitia subiecerat, ex eius potestate eriperetur, DEo, cuius gloriam obscurauerat, satisficeret, et sanctissimos DEi fines, quos impedire omni studio tentauerat, obtaineri videret, ipse autem ab imperio deicetus aeternis cruciatibus traderetur. Haec est ostensio ista, qua Christus viatoriam suam magis gloriosam reddidit, diabolum autem, Spiritum ambitione plenum, ignominia, contemptu, et infamia, malo, quod omnium maxime abhorret, puniuit.

Sed quid est illud, quod additur, εν παρέγενσι, confidenter? In quibusdam versionibus legitur confidenter PALAM, quod, cum in graeco non extet, a Sciolo quodam, versionem corrigere volente, adiecit esse MALDONATO videtur. Quia vero in omnibus codicibus latinis deprehenditur, retinendum esse putat CORNELIUS A LAPIDE, ita tamen, ut non ad praecedens επεριγράφεται, sed ad sequens θεοφάνεια trahatur, quo determinatio PALAM virtualiter includi videretur. Sed quicquid horum sit, cuncta redeunt ad significatum vocum εν παρέγενσι. AVGVSTINVS reddit fiducialiter, AMBROSIUS in auctoritate, et ORIGENES libere. Hi ergo modum, quo Christus hostes suos deuicerit, et traduxerit, describi putant. Idem sentit HIERONYMVS, vertens, traduxit confidenter palam, vbi prius per posterius explicare videtur. Horum itaque auctoritates si sequi veli-

mus, dicendum est, Christum hostes suos palam, audacter, confidenter, non sine certissima spe viae Historiae, debellasse. Nec satis causae nobis esse videatur, aliam interpretationem subtiliorem quaerendi. (e) Bellum enim, quo tandem deuictus est Satanás, publice gerebatur. Non pudebat Christum, cum maligno hoc Spiritu congregari. Neque abhorrebat ignominiosum mortis genus, cui se sponte tradidit, ut humanum genus redimeret. Certus enim erat, se viatoriam reportaturum, et Patris sui gloriam maximopere illustraturum esse. Exinaniuit itaque se usque ad mortem crucis, ut destrueret omnes principatus et potestates regni infernalis. Atque ira vincendo hostes traduxit. *en παρένθεσι*. Huc respexisse videtur HIERONYMVS, locum nostrum hac interpretatione illustrans: *Denicit palam crucifixus, confusione contempta triumphavit, non occidendo, sed moriendo, ut nobis confrastra omni superbia monstraret exemplum.*

Progedimur ad BELLVM, quod gloriosam hanc victoriam, nempe exspoliationem et traductionem hostium, praecessit. Vocatur ab Apostolo LITVRA CHIROGRAPHI. Quid hoc sit Chirographum, variae sunt Interpretum opiniones. (f) Plerique tamen

(e) Evidem B. SEB. SCHMIDIVS in Comment. ad b. l. τὸ εἰπόμενον οὐ νόν ad Christum, sed ad nos spectare putat, quasi Christus ita traduxisset principatus et potestates, ut nos iam haberemus confidentiam contra eos tanquam hostes vicos. Sed quanvis sensus non foret incommodus, id tamen Apostolum sibi voluisse, nulla ratione probari potest. *Confiditia, inquit, non opus fuisse in Christo.* Sed si eam interpretaris fortitudinem animi et contemptum doloris ac ignominiosi mortis generis, quod subeundum erat, ea utique opus fuisse, manifestum est.

(f) Ita ex. gr. interpretantur i. de corpore nostro, 2. de primo

men, legēm ceremonialem intelligi, doctis et inge-
niōsis rationibus contendunt. (g) Nos, missis alio-
rum coniecturis, quas aut enumerare, aut ad examen
vocare, ab instituto nostro alienum est, existimamus,
de obligatione, qua Deo tenebamur, sermonem esse.
Nam sicuti Chirographum proprie libellus est aut
scriptum, quo, quicquid alteri debemus, testamur, et
quo debitum negaturi conuinci possemus, ita testi-
monium debiti pro ipso debito, h. e. Chirographum
pro obligatione nostra ponitur. Haec autem obliga-
tio et perfecta legis adimpletiō est, et, postquam pec-
cauimus, satisfactio pro delictis. Cumque literae scri-
tae extent, quae testantur et officium nostrum DEo
debitum, et peccata commissa, et aeternam mortem,
quam transgressionibus nostris promeruimus, ideo
haec nostra obligatio dicitur *καιρόγενθον τοῖς δόγμασιν*.
Nimirum dogmata ista, quibus nostra obligatio con-
tinetur, sunt et *lex moralis*, quae officia hominum er-
ga DEum et proximum tradit, simul autem implis
transgressoribus mortem minatur, et *lex ceremonialis*,
quae erat continua commonesfactio, hominibus satis-
faciendum, ideoque et pereundum esse, nisi interue-
niret vicaria Mediatoris satisfactio: quo sensu Paulus
eam *παιδείαγωγὴν ἡμῶν εἰς Χριστὸν* fuisse inquit. Gal. III. 24.

B. 2

Quia-

Adami peccato, 3. de peccato, 4. de décalogo, 5. de memoria
transgressionum in mente DEi, hominis, et diaboli, 6. de
obligatione ad poenam aeternam, 7. de vi legis moralis obli-
gante, 8. de lege ceremoniali, 9. de lege moral et cere-
moniali humili, 10. de conscientia. Vid. S. B. SCHMIDIVS in
Comment. ad b. l. p. 732.

(g) Vid. CAMP. VITRINGA in Obs. Sacr. Lib. II. Cap. XI. §. 14.
TOM. I. p. 429. SAL. DEYLING in Obs. Miscell. Part. II. Exerc.
II. §. 13. p. 597.

XII

Quatenus ergo vtraque lex contra nos testatur, nosque coram DEo reos agit, eatenus et ipsa lex, sed et plures aliae res *chirographum* dici possent. Ita locum hunc beati Confessores nostri interpretantur: *Est autem Chirographum, inquit, conscientia arguens et condemnans nos.* Porro *lex est verbum, quod arguit et condemnat peccata.* Haec igitur vox, quae dicit, *Peccavi Domino, sicut David ait, est Chirographum.* Et paucis interiectis: *Est igitur Chirographum ipsa contritio, condemnans nos.* Delere Chirographum est tollere hanc sententiam, *qua pronunciamus, fore, ut damnemur, et sententiam insculpere, qua sentiamus, nos liberatos esse ab illa condemnatione.* (h) Ex pluribus his significatibus, inter se connexis, sibique subordinatis, hunc praeserferre placet, quod Chirographum sit ipsa obligatio nostra, et quidem ad satisfaciendum DEo pro peccatis. Diciturque Chirographum τὸ καρτιόν, καὶ ἡ ὑπεράρτιον ἵμην, quia nos a gratia DEi excludit, conscientiam terret, et, si quis forte se ipsum iustificare, aut in operibus suis fiduciam collocare vellet, testatur, nos mortis aeternae reos esse, nihilque habere, de quo gloriari possemus.

Hoc itaque est Chirographum illud, quod Christus *sustulit et deleuit.* Peregit autem arduum hoc negotium, cum se ipsum traderet in mortem, et satisfactionem, quam nos praefare debebamus, ipse praestaret. Namque peccata nostra sibi imputari passus est; his quasi onus comparuit coram iudicio Patris sui; et ab eo condemnatus infinitam irae diuinæ magnitudinem, maledictionem legis, omnesque istos dolores,

(h) APOL. AVG. GONE. Art. V. de Poenit. p. 169.

lores, quibus maledicti in inferno excruciar dehebant, simul sensit. Haec omnia Paulus his verbis comprehendit: *Christus nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis maledictio.* Gal. III. 13. Atque ideo etiam in textu nostro inquit, chirographum a Christo deletum esse IN CRUCE, qua voce omnes eius passiones, animae et corporis, internas et externas, complectitur. Occurrit autem vocabulum πεστηλάτας, affigens sc. chirographum in cruce, quo dicendi generare morem perantiquum, chirographa adigendo clavum per Schedam irrita reddendi, respici putarunt viri docti. (i) Quorum opinionem si retineamus, emanque ad abolitionem obligationis nostrae applicemus, id tantum significare voluisse Apostolus, quod culpa nostra crucifixione Christi deleta sit. Quia vero haec deletio iam satis descripta erat per voces, ἔχαλενφας τὸ Χειρόγραφον, ηγενεν ἐκ τῆς μέσης, postrema verba πεστηλάτας αὐτὸ τῷ εἰσεψη aliud quid significare videntur. Idque hoc esse arbitramur, quod passionibus istis, quibus sublata est nostra obligatio, terminus positus fuerit in cruce. Multa namque tulerat et passus erat Christus, ut nos a necessitate aeternae mortis redimeret. Coeperunt dolores isti in horto Gethsemane. Continuabantur in vinculis et coram iudice. Sed omnium finis aderat, cum in cruce spiritum emitteret, exclamans: consummatum est. Ut itaque omnis ista passio vere nostra erat obligatio, nostra mors, nostra condemnatio, sic et haec cruci affixa h. e. penitus deleta dici potest, cum Christus ab ea penderet, omnemque passionum et satisfactionum mensuram adimpleret, sic ut nihil amplius superesset.

B 3

Et

(i) Vid. IO. PEARSONIVS in *Expos. Symb. Apost. Art. IV.* p. 371.

XIV

Et hoc est memorabile illud bellum, quod vi-
ctoria adeo salutaris et glorioſa ſequebatur. Postquam
enim diabolus a Creatore ſuo defecerat, et impium
conſilium ceperat, nouum regnum erigendi, regno
DEi oppoſitum, in quo ipſe pro arbitrio indepen-
deret dominaretur, id ſibi negotii in primis datum, id-
que ſibi ante omnia efficiendum eſte arbitrabatur, ut
homines, qui DEum colere debebant, peccato indul-
gerent, et aeterna iſta felicitate, ad quam destinati
erant, priuarentur. Hoc fine cum potitus eſſet, ma-
gno hominum danno, qui ſe illius aſtutia et maligni-
tate ad ſimilem apostafiam moueri paſſi erant, eos
ſub potestate ſua habebat, ſuo imperio ſemper magis
magisque ſubiiciebat, omnemque dabat operam, ne
ſibi vñquam eriperentur, et in priftinam libertatem
et felicitatem transponerentur. Sed impedire haud
poterat, quo minus ipſe DEi Filius magnum hoc et
ſalutare opus aggredieretur. Namque in carne ma-
nifestatus peccata noſtra ſibi imputari voluit, quo fa-
cto infinitam irae ditinae magnitudinem, maledictio-
nem legis, omnesque illas poenas, quas nos prome-
rueramus, ipſe ſolus fuſtinuit. Atque ita pro nobis
ſatisfaciendo primum nobis comparauit aeternam ſa-
lutem, cuius denuo particeps fieri poteramus medi-
ante fide, ſecundo peccati dominium fuſtulit, a quo
vera fide et cordis sanctificatione liberamur, tertio
gloriam ſummi Numinis ita manifestauit, ac ſi ea per
peccatum nunquam obscurata fuiffet, atque ſic omnia
maledicti huius ſpiritus opera felicissime deſtruxit.
Quod quidem opus cum factum ſit inuitio et frenemen-
te diabolo, isque ſine dubio nihil praetermisericorditer, quo
impediri potuifſet, niſi maius fuiffet Redemptoris ro-
bur,

bur, bellum spiritibus tenebrarum regnoque infernali illatum haud immerito appellatur, bellum, inquam, quo contritum est caput serpentis, illique vis adempta est, qui mortis potestate habebat.

Quid ergo mirum, bellum hoc, quo deuicti, et ab imperio deiecti, imo omni potestate exuti sunt hostes DEi et humani generis, *triumpho* ornatum esse? Apud Romanos non omnibus, qui ex praelio redibant, delatus est honos triumphi. Tunc enim tantum victoria triumpho digna iudicabatur, cum hostes ita deuicti erant, ut verendum non esset, ne provinciam rursum occuparent, cum fines imperii prolati, et parum sanguinis romani effusum erat. Quae omnia si ad Christum applicare velimus, dicendum est, bellum nunquam triumpho dignius visum esse, quam quo ipse Principatus et Potestates infernales deuicit. Namque primum ita eos vicit, ut omni potestate et imperio expoliati sint. Redemptum est genus humanum, de quo dimicabatur, atque ita redemptum, ut nihil eius aliquando recuperaturus esset diabolus, nisi aliqui hominum se sponte traderent illius voluntati, permittente tamen DEo, cuius spiritu se regi noluerint. Nec minus hac victoria amplificati sunt fines imperii diuini. Totum enim genus humanum, quod erat sub potestate Satanae, acquisitum et restitutum est, ut sit peculium Filii DEi, nec amplius sibi aut diabolo, sed Redemtori suo viuant. Denique et parecum est exercitibus diuinis. Ipse enim solus descendit in pugnam. Ipse solus destruxit opera Satanae. Ipse solus Iesus est in calcaneo. Gen. III. 15. Quare etiam apud Prophetam inquit: *Torcular calcaui solus, et de populis non fuit vir tecum.* Circumspiceram, *sed*

XVI

sed non erat auxilians; Obstupui, sed non erat suffulciens. Ideo salutem praefuerit niki brachium meum, et excandescens mea sustentauit me. Ies. LXIII. 3. 5.

Sed iam, vt tandem ad rei caput perueniamus, quid, quaeſo, est TRIVMPHVS ille, ad cuius celebrationem Vos hortari coepimus? Sunt, qui putant, triumphum hunc peractum esse, cum Christus descendet in infernum, seque ibi monstraret et Satanae deuictio, et damnatorum animabus. (k) Verum, vt taceamus, litem de descensu Christi, qualis nimurum fuerit, localis an alius quispiam, nondum compositam esse, et locum illum principalem, I. Pet. III. 19. quem in primis vrgere solent, minime omnium de descensu isto agere, (l) id vnicum iam monuisse sufficit, quod, qua ratione triumphus ille in inferno peractus sit, nullo modo comprehendendi queat. Nam Triumphus, si in se consideretur, est exterrum signum hostis plene deuicti, et victoriae ab eo certissime reportatae; sive solemnis pompa, qua publice declaratur, hunc esse, qui hostes deuicerit, omni potestate eos spoliauerit, sibique prorsus subiecerit.

Et

(k) Hanc opinionem recenset et simul confutat PEARSONIUS in *Exp. Symb. Apost. Art. V.* p. 438. seqq. Eandem vero et multi Noſtratium amplexi sunt. Vid. B. IO. BEN. CARPOVIVS in *Diss. de Descensu Christi ad Inferos Sect. I.* §. 15. *Diss. Acad.* p. 656. 657.

(l) Id ipsi agnouerunt Theologi celeberrimi, et de Ecclesia praeclare meriti, B. LEONH. HUTTERVS in *Expl. Lib. Conc. Art. IX.* p. 934. IO. GERHARDVS in *Comment. in Epp. Petr.* p. 479. Et B. CONR. DIETERICVS licet in *Inst. Catech.* de Exin. Christi Qu. 7. p. m. 426. sentiat, Christum descendisse in Infernum, vt se victorem diabolo demonstraret, et de eo triumpharet, tamen p. 427. fatetur, hunc locum agere de praedicatione temporibus Noe per hunc ipsum praecōnem iustitiae facta,

Et solennis illa declaratio fieri solet, *non coram
victis*, qui non ignorant, se victos esse, ideoque nul-
lo huius rei testimonio indigent, *sed coram illis, quo-
rum commendo bellum erat gestum;* ut constet, ipsis
nihil amplius metuendum esse ab hostibus prostratis. I-
taque Triumphus Christi ea res nobis esse videtur,
qua declaratum est, Christum vicens Satanam et Spi-
ritus infernales. Vicit autem istos et satisfaciendo
pro nobis, et liberando nos a dominio peccati, ira
DEi, maledictione legis, et aeterna morte. Qua-
cunque igitur re Christus declarauit, haec omnia fe-
licissime peracta esse, ea quoque Redemptorem no-
strum de Principatibus et Potestatibus triumphasse
credimus.

Atqui id ipsum declaratum esse ipsa eius **R E-
S V R R E C T I O N E A M O R T V I S**, adeo euidenter est, ut
probatione vix indigeat. Resurrectione enim, ma-
xime cum praedicta esset, satis comprobatur, vera es-
se omnia, quae de se ipso docuerat. Atqui docue-
rat inter alia, se moriendo ~~et~~ persoluturum esse
pro hominibus. Matth. XX. 28. Ergo id factum es-
se, resurrectio infallibiliter testabatur. Poterant nem-
pe, nisi resurrectio sequuta fuisset, homines cogita-
re, Christum iuste imperfectum esse. Aut qui mitius
de eo sentiebant, ignorassent tamen, num promissa re-
demcio vere praestita et acceptata sit a DEo, nostra-
que delicta eius morte deleta, sic ut iam fiducia in
ipsius merito collocari posset. Quare etiam Paulus
inquit, Christo non resuscitato a mortuis vanam fore
fidem nostram. 1. Cor. XV. 17. Sed postquam re-
surrexerat a mortuis, seque viuum monstrauerat di-
scipulis, aliisque personis fide dignis, quilibet certus
esse

XVIII

esse poterat, veram esse doctrinam ab eo traditam, veram quoque esse expiationem, quam suae mortis sacrificio se facturum promiserat, ideoque spem et fiduciam omnem in eo secure collocari posse. Atque hinc intelligimus, quid sibi velint verba Apostoli: *Christum se tradidisse propter peccata nostra, et resuscitatum esse propter iustificationem nostram.* Rom. IV. 25. Nimirum morte Christi plene quidem DEo satisfactum erat, quia vero ad iustificationem requirebatur, ut meritum Christi vera fide nobis applicaremus, et haec fides haberi non poterat sine resurrectione Christi, quatenus ea deficiente redemptio per Christum facta semper mansisset dubia, ideo resurrexit, vt in eum credere, et hac fide iustificari possemus. Quae cum ita sint, credendum est, Christum resurrectione sua triumphasse de Potestatis Inferni. Atque id confirmari videtur adiectione, Christum triumphasse *ἐν αὐτῷ in se ipso*, aut, *per se ipsum*. Nam part. *ἐν* denotat hoc loco causam efficientem. Qui locutiones apostolicas a more Gentium desumptas esse contendunt, id forte ex anquitate illustrandum esse sibi persuadebunt. Viator enim non licebat triumphare, nisi prius cognita causa, et impetrata concessione a Senatu vel Populo. Ad id forte, putabunt, respxisse Apostolum, vt significaret, Christum *propria auctoritate* triumphasse, nec opus fuisse, vt id agendi veniam prius impetraret. Verum licet hanc opinionem non improbemus, magis tamen nobis placet literae simplicitas. *Ἐν αὐτῷ* significat *propria virtute*. Et *ὅμηρος* *ἐν αὐτῷ* est solenni quadam actione viatoria declarare, quae ab ipsius viatoris virtute proficiscitur. Cum itaque Christus, si nostra inter-

pre-

pretatio retineatur, triumphaverit resurgendo a mortuis, Paulus his verbis declarat, *Christum sua ipsius virtute resurrexisse, et sic resurgendo se Victorem Diaboli et Inferni satis demonstrasse.* Nam licet scriptura passim testetur, Christum a Patre suo resuscitatum esse, A&t. II. 15. Rom. VI. 4. Eph. I. 20. tamen cum Filius Patri suo sit *equalis*, et potentia Patris simul sit potentia Filii, cum quoque sua ipsius potestate et virtute resuscitatum esse, negari haud potest. Atque id haud obscure significavit, inquiens, se templum aliquando frangendum, quo ipso corpus suum intelligebat, terria die restauraturum esse. Io. II. 19. Et Io. X. 18. dicit, se habere potestatem, vitam suam traxendi, sibique rursus restituendi.

Neque tamen hac explicatione nostra negamus, Christum et ascensione sua in coelis triumphum egisse. Nam haec triumphalis pompa non uno actu peragebatur, sed continuata est variis actionibus, quarum aliae aliis illustriores erant atque solemniores. Triumphabat nempe Christus quocunque signo edito, quo veritas Redemtionis nostrae ex potestate Satanae demonstrabatur. Itaque triumphare coepit, cum resurgeret, militante praefidiario in fugam dato; continuabat, cum discipulis iterata vice viuus appareret; pompam augebat, cum ascenderet; denique et triumphalis actio erat, cum Spiritum suum effunderet super Apostolos, et hi donis extraordinariis instructi Resurrectionem Christi praedicarent. Sed sepulchrum erat veluti porta triumphalis, qua aperta primum se Victorem conspicendum dedit ipsis, quorum intererat, Spiritus infernales deuinci, et unde omnis triumphalis pompa initium sumpsit.

Quae cum sciatis, CIVES CHARISSIMI! atque
C 2 nunc

XX

nunc dies illa redierit, qua triumphi huius memoria celebrari solet, laeti canite victoriam, nec soli estote Triumphatoris spectatores, sed, quantum potestis, hanc solemnitatem augete. Ecquid hoc rei est? forte inquietis. Nonne, qui solus pugnauit, solus vicit, solus etiam triumphet? Quid ergo in nobis est, quo Triumphi gloria illustrior reddi possit? Multum, profecto! si memineritis, victoriam esse Redemtionem vestram, et triumphum publicam huius victoriae declarationem. Augetis ergo triumphum, si et Vos liberatos esse a Dominio peccati et Potestate Satanae demonstratis; si et Vos non Vobis, non peccato, non diabolo, sed illi viuatis, qui pro Vobis mortuus, imo vero et resuscitatus est. Nam quo plures pristino viuendi generi, quod non est ex DEo, sed ex diabolo, nuncium mittunt, quo plures conuertuntur a tenebris ad lucem, et a Potestate Satanae ad DEum, eo maior sine dubio est et Victoriae et Triumphi Gloria. Itaque cum adsit tempus, huius triumphalis actus renouandi memoriam, id agite, vt, carnis voluptatibus expulsis, quibus Princeps tenebrarum victus non absque insigni turpitudine colitur, vos totos Redemptoris et Triumphatoris Imperio subiiciatis. Namque cogitandum Vobis est, non hominem esse, neque Angelum, sed ipsum DEum Supremum, totius mundi Dominum et Iudicem, qui memorabili pugna, et gloriofa victoria, quam his diebus praedicauimus, vos tanquam suum peculum sibi acquisiuit. Olim, cum Triumphus peragebatur, exclamabat accurrens multitudo: Memento, te esse hominem! Sed vitinam Vos, quos hodie ad audienda et celebranda Victoris merita inuitamus, corda vestra ad pietatem, reverentiam, et obsequium hac voce excitaretis: Mementore, DEum esse, qui hodie triumphauit!

P. P. in Academia Julia Carolina D. xxix. Mart.

A. R. S. ccccclv.



153883

X 2286633

R

21

DE
IESV CHRISTO
SPIRITVS INFERNALES
TRIUMPHANTE
AD ILLVSTRANDVM LOCVM
COL II. V. 14. 15.
PROGRAMMA
FESTO PASCHATOS
A. R. S. CICCI
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
P. P.

HELMSTADII

LITERIS SCHNORRIANIS.

